
Maxima nuper inter philosophos orta est dissensio de artis dialecticae natura et indole. Quem ad modum enim ab aliis artem illam quasi quandam foecundam commentorum et argutiarum matrem, perniciosam institutorum placitorumque cujusvis generis stabilitati et sanctitati facem atque male sedulam de quavis re in contrarias partes disputandi sollertiam vel fastidiose despici vel acerbissime condemnari constat, ita non defuerunt alii, qui ejus patrocinium susciperent eamque ut veri falsique indagatricem et judicem atque praeclaram tum cogitandi tum disserendi magistram maximis laudibus praedicarent vehementerque commendarent. Quid, quod recentissimo tempore doctores haud obscuri nominis exstiterunt, qui nescio quam arcanam et abstrusam dialecticam in philosophiam revocarent? Unde operae pretium mihi visum est, subtilius et copiosius, quam adhuc factum esse cognovi*), de Platonis arte dialectica ita exponere, ut in primis ea in lucem proferrentur, quae Plato ipse, hujus artis si non inventor, clarissimus

*) Praeter eos, quos Krugius, V. S., in *Historia Philosophiae Veteris* §. 76. D. laudavit, tetigerunt Platonis artem dialecticam, quod sciam, ipse Krugius in adnotatione ad *Logicam* §. 7. et Friesius cursim in praefatione ad disciplinam logicam pag. 3 et summus Schleiermacher ingeniose, ut solet, non solum passim ad singulos dialogos, sed etiam in libro, qui inscribitur: *Grundlinien zur Kritik der Sittenlehre* pag. 478. sqq. et Stallbaumius in disputatione de Platonis vita, ingenio et scriptis praemissa Vol. I. Sect. I. *Dialogorum Selector.* in *Bibliotheca Graeca Gothae* editorum p. XXXIX. etc., sed ille tironum captui accommodatius, quam subtilius et copiosius. Omnium autem uberrime de ea exposuit Tennemannus in *System. Philosoph. Platon.* tom. II. p. 214 —

tamen excultor summusque magister, de ejus natura et vi praecepit atque ipsum disserendi artificium, quo in dialogis componendis usus est, illustraretur. Qui tamen locus quum latissime pateat nec mihi scholasticis negotiis districto tantum otii contigerit, ut totam hanc materiem continuo pertractare et penitus exhaurire possem: consultius esse existimavi singula ejus capita horis subsecivis, qua quidem tenus per virium mearum mediocritatem et literatorum subsidiorum inopiam licuit, persequi. Et primum quidem de variis artis dialecticae nominibus, quae quidem Plato ei tribuit, eorumque vi, deinde de ejus fine, tum de usu explicare mecum constitui, porro ejus differentiam ab aliis cognatis artibus atque rationem, qua tota cum philosophia Platonica cohaeret, explanare, potremo ejus originem, incrementa et mutationes, quas in posterioribus philosophorum scholis subiit, enarrare in animo est, unde judicium certius minusque ambiguum de pretio ei statuendo conformari necesse sit. Hac igitur dissertatione tria, quae prima posui, capita ita complecti placuit, ut, quibus nominibus Plato ipse artem dialecticam insigniverit et quid de ejus fine et usu statuerit, dissererem, ea autem nunc quidem praetermitterem, quae, ut illa ars penitus cognosceretur, ex ipsa disserendi subtilitate et elegantia, cujus consumatissimum omnibusque numeris absolutum exemplar Plato in suis scriptis reliquit, essent conjicienda, colligenda, ad certa genera revocanda. Loci, quibus aliquid probaretur, praeter longiores, quos hujus scriptionis angustiae non caperent, Graecis verbis adscripsi, iis tamen omissis, quae a proposito aliena essent, difficilioribus tantum interpretatione addita. Ceterum egregie me praeclara Schleiermacheri et Stallbaumii opera in Platone explicando collocata, tum Richteri mei, qui nunc in academia Lipsiensi maxima cum laude philosophiam docet, elegantissimo libello de Platonis Ideis adjutum esse, grato animo profiteor. Quorum virorum quamquam ingenium pariter ac doctrinam admiror maximique facio et quem primum nominavi, paene

259. Qui tamen quum praecepta Platonis non ex antiquo philosophandi more, sed ex Kantii ratione explicaret atque illam dialecticam artem finibus recentioris logicae coërceret, multa, quae erant conjungenda, disjuxit et a vera Platonicae dialectices natura plane aberravit.

pro divino habeo: vestigia tamen eorum non ita pressi, ut iudicii libertate abjecta de Platonis mente plane securus errores ipsos, si quos deprehendisse mihi viderer, retulerim.

I. De nominibus arti dialecticae a Platone tributis eorumque vi.

Colloquendi facultas et officium a Platone plane in universum appellatur τὸ διαλέγεσθαι, cui verbo praeter vulgarem usum etiam vim subtilius disserendi et accuratius inquirendi in aliquid tribui, patet ex Republ. p. 539. C. διαλέγεσθαι καὶ σοπεῖν τὰ ληθές, p. 532. A. p. 537. D. et ex Phaedr. p. 169. B. ἐπιστάμενοι διαλέγεσθαι; deinde τὸ διαλεκτικόν, dialectica, (orum), quaecunque ad dialecticam pertinent, ut τὸ συμμαχικόν, τὸ ναυτικόν. Soph. 253. E. Ἄλλα μὴν τόγε διαλεκτικόν οὐκ ἄλλω δώσεις, πλὴν τῷ καθαρῶς τε καὶ δικαίως φιλοσοφοῦντι; tum ἡ διάλεκτος, colloquium. Theaet. p. 146. B. Ἐγὼ μὲν γὰρ ἀήθης τῆς τοιαύτης διαλέκτου, de Rep. p. 454. A. Ἐριδι καὶ οὐ διαλέκτῳ χρώμενοι Symp. p. 203. A. διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους. Haec autem colloquendi ratio in interrogandi et respondendi sollertia cernitur; unde fit, ut interrogandi et respondendi peritus dialecticus esse dicatur, Cratyl. 390. C. Τὸν δὲ ἐρωτῶν καὶ ἀποκρίνεσθαι ἐπιστάμενον ἄλλο τι καλεῖς ἢ διαλεκτικόν; et de Republ. p. 487. B. homines imperitia intarrogandi et respondendi (ἀπειρία τοῦ ἐρωτῶν τε καὶ ἀποκρίνεσθαι i. e. τοῦ διαλέγεσθαι) in errores incidere contendatur. Cf. Phaed. 76. D. λόγον δίδομεν, καὶ ἐρωτῶντες καὶ ἀποκρινόμενοι i. e. διαλεγόμενοι; ibidem p. 75. D. Theaet. p. 168. E. Ἐμὲ καὶ σὲ δεῖ ἐρωτῶντας τε καὶ ἀποκρινόμενους, e. i. διαλεγόμενους ἀλλήλοις, σπουδάσαι αὐτοῦ περὶ τὸν λόγον; de Rep. 534. E. Ἡ παιδεία ἐξ ἧς ἐρωτῶν τε καὶ ἀποκρίνεσθαι (διαλέγεσθαι) ἐπιστημονέστατα οἶοι' ἔσονται.

Quum autem omnis antiquitas non solum ad publicum usum repiciens, sed

etiam acute sentiens, ex assidua dicendi exercitatione cogitandi sollertiam, non ex sola meditatione sermonis elegantiam pari, disserendi laudi primas tribuisset, tum Plato, arcissima, qua cogitatio cum sermone continetur, necessitudine perspecta nihil interesse statuit, utrum quis colloquium cum altero an secum ipse animo meditans habeat. Unde cogitationem ipsam taciturnum animi colloquium secum interrogando et respondendo, affirmando et negando agitantis nominavit in Soph. 263. E. Οἰκοῦν διάνοια μὲν καὶ λόγος ταυτὸν πλὴν ὁ μὲν ἐντὸς τῆς ψυχῆς πρὸς αὐτὴν διάλογος ἀνεὺ φωνῆς γιγνόμενος τοῦτο αὐτὸ ἐπωνομάσθη διάνοια. Theaet. p. 189. E. Τὸ διανοεῖσθαι καλῶ λόγον, ὃν αὐτὴ πρὸς αὐτὴν ἢ ψυχὴ διεξέρχεται περὶ ὧν ἂν σκοπῇ. Τοῦτο γάρ μοι ἰνδύλλεται, διανοουμένη οὐκ ἄλλο τι ἢ διαλέγεσθαι αὐτὴ ἑαυτὴν ἐρωτῶσα καὶ ἀποκρινομένη, καὶ φάσκουσα καὶ οὐ φάσκουσα. Unde, ut hoc addam, jure colligitur, alia non esse praecepta cogitandi, quam disserendi.

At etiam quaerendi et respondendi est certa ratio et via. Nam ut colloquendum alter, qui respondendi partes teneat, brevissime et paucis ad quaestiones ipsas respondeat, alter autem, qui interroget, filium disputationis regat, ad propositum perducatur et responsa excipere et in usum convertere sciat, Plato jure postalavit. Protag. 329. E. Πρωταγόρας δὲ ὅδε ἱκανὸς καὶ ἐρωτηθεὶς ἀποκρίνεσθαι κατὰ βραχὺ καὶ ἐρόμενος περιμεῖναι τε καὶ ἀποδεξασθαι τὴν ἀπόκρισιν, ἢ ὀλίγοις ἐστὶ παρασκευασμένα. Quare quum illud aequabile et quietum disputandi genus a dicendi copia et orationum amplitudine quam longissime abesse velit, dixit idem Protag. p. 338. A. τὸ ἀκριβὲς εἶδος τῶν διαλόγων τὸ κατὰ βραχὺ, et p. 335. B. τὴν σοφουσίαν ἐν βραχυλογία, opposita μακρολογία. Sic. p. 335. A. διαλέγεσθαι est χρῆσθαι τῇ βραχυλογία, et p. 336. A. χωρὶς ἔγωγε ἤμην εἶναι τὸ συνεῖναι τε ἀλλήλοις διαλεγόμενος καὶ τὸ δημηγορεῖν. Gorg. 449. B. Protag. 336. C. Διαλέγεσθαι ἐρωτῶν τε καὶ ἀποκρινόμενος, μὴ ἐφ' ἐκάστη ἐρωτῆσει μακρὸν λόγον ἀποτείνων, ἐκκρούων τοὺς λόγους καὶ οὐκ ἐθέλων δίδοναι λόγον, ἀλλ' ἀπομηγύνων, ἕως ἂν ἐπιλαθῶνται περὶ οὗ τὸ ἐρώτημα ἦν, οἱ πολλοὶ τῶν ἀκούοντων. Ex ultimis etiam alia causa cognoscitur, cur Plato respondentem omni orationis ubertate remota maxime brevitati studere velit, ut animus semper in interroga-

tionem difixus teneatur neve verborum flumine abreptus a proposito aberraret, velut si quis velis passis altum mare petens terram e conspectu amittat.

Disserendi autem sollertia, ἡ τοῦ διαλέγεσθαι πραγματεία, Theaet. p. 161. E. Phileb. p. 58. C., quod ex cupiditate veri cognoscendi animo humano insita oritur, ἡ τοῦ διαλέγεσθαι δύναμις vocatur, facultas disserendi, de Rep. 533. A., 511. B., 537. D. Phileb. 57. E. et ibidem 58. D. ἡ τῆς ψυχῆς ἡμῶν δύναμις ἐρᾷν τε τοῦ ἀληθοῦς καὶ πάντα ἕνεκα τοῦτου πράττειν, ἡ διαλεκτικὴ φύσις de Rep. p. 537. C., ἡ ὁρμὴ ἐπὶ τοὺς λόγους Parm. p. 130. B., 135. D. et splendidiore nomine ἡ διαλεκτικὴ τέχνη Phaedr. 276. E., ἡ διαλεκτικὴ ἐπιστήμη Soph. 253. D. de Rep., 534. E., ἡ τοῦ διαλέγεσθαι ἐπιστήμη de Rep. 511. C., ἡ διαλεκτικὴ μέθοδος de Rep. 533. C. ἡ περὶ τοὺς λόγους τέχνη Phaed. p. 90. B., τὸ περὶ τοὺς λόγους de Rep. 498. A. Quorum nominum vim si penitus perspicere volumus, paucis, quam egregie Plato de artis et scientiae natura senserit, ostendatur necesse est. Atque artis natura primum ita explicatur, ut ei opponatur ἄτεχνος τρίβη Phaedr. 260. E. sive τρίβη καὶ ἐμπειρία Phaedr. 270. B., Gorg. 463. B., ἄλογον πρᾶγμα ibid. 465. A. et ἄλογος τρίβη καὶ ἐμπειρία 601. A., quippe quae rerum causas ignoret; item ἐπιτηδεύματι τεχνικῷ opponitur ἐπιτηδεύμα ψυχῆς στοχαστικῆς, opus, studium animi temere conjectantis. Quae verba egregie in Phileb. p. 56. A. illustrantur. Τὸ γοῦν μετὰ ταῦτα (sc. μετὰ ἡμερονικὰς τέχνας, ἀριθμητικὴν, μετροητικὴν καὶ στατικὴν) εἰκάζειν λείποιτ' ἂν καὶ τὰς αἰσθησεις καταμελετᾶν ἐμπειρία καὶ τινὶ τρίβη, ταῖς τῆς στοχαστικῆς προσχρωμένους δυνάμεις, ἃς οἱ πολλοὶ τέχνας ἐπονομάζουσι, μελέτη καὶ πόνος τὴν ῥώμην ἀπειργασμένας, i. e. post has igitur artes principes et aliarum duces nihil supererit, nisi divinare et sensuum sollertiam experientia et usu quodam comparatam sequi, conjecturae adminiculis nisum, quas vulgus artes nominat studio et exercitatione vim nactas. Deinde ars esse negatur, quae eorum, quibus utatur, naturam et rationem cognitam non habeat, atque unius cujusque rei causam ignoret. Gorg. 465. A. τέχνην αὐτὴν (τὴν κολακείαν) οὐ φημι εἶναι, ὅτι οὐκ ἔχει λόγον οὐδένα, ὃν προσφέρει ὅποια ἄττα τὴν φύσιν ἐστίν, ὥστε τὴν αἰτίαν ἐκάστου μὴ ἔχειν εἰπεῖν. Et. 500 E. ἡ ἰατρικὴ ἀρσ δicitur, ὅτι ἡ μὲν τοῦτου, οὗ θεραπεύει καὶ τὴν φύσιν ἐσκεπται καὶ τὴν αἰτίαν ὧν πράττει καὶ λόγον ἔχει τούτων ἐκάστου δοῦναι. Tum arti

proposita esse debet optimi (τοῦ βέλτιστον) comparatio, non voluptatis, cui blandiendi studia (ἡ κολακεία) inserviunt. Ars enim, quae hoc nomine digna est, sola optimi, quod ejus ope efficitur, ratione censetur. Gorg. 501. B. *Ἐἴσι τινὲς τεχνικαὶ παρασκευαῖαι προμήθειάν τινα ἔχουσαι τοῦ βέλτιστον περὶ τὴν ψυχὴν.* ib. 464. C. *Τετάρων δὴ τούτων οὐσῶν (τῶν τεχνῶν) καὶ αἰεὶ πρὸς τὸ βέλτιστον θεραπευουσῶν, ἡ κολακτικὴ ὑποδῦσα ἐπὶ ἕκαστον τῶν μορίων — τοῦ βέλτιστον οὐ φροντίζει, τῷ δὲ αἰεὶ ἡδίστῳ θεραπεύεται τὴν ἄνοιαν καὶ ἕξαπατᾷ.* Similiter de scientiae dignitate in Men. p. 97. B. statuit Plato, ubi ἀληθεῖς δόξαι et ἐπιστήμαι eo discernuntur, quod hae causarum, quibus nituntur, cognitione ut vinculo quodam conjunctae semper manent et recte ducunt, illae autem fallaces sunt indices modo veri modo falsi, neque unquam constantes. Deinde scientiam (ἐπιστήμην) summa perspicuitate excellere censet, atque ut artis finem in efficiendo optimo, ita scientiae in vero indagando posuit. Cf. Tennemanni System. P. P. Vol. I. p. 228. etc. Quid, quod arti et scientiae tantum pretii statuit, ut eas pariter ac rationem et intelligentiam, (νοῦν τε καὶ φρόνησιν), unde proficiscuntur, post summum bonum ipsum, quo ut solis luce omnes res humanae collustrarentur, hominis maxima bona praedicaret? Quod si disserendi esse artem et scientiam dixit, quis est, quin videat, eum non coecam et usu comparatam sollertiam significasse, quae probabilitatis aliquam speciem et conjecturae ludibria sequens etiam imprudens interdum verum rectumque attingeret, sed certam veritatis investigandae rationem intelligi voluisse, quae ad colloquii formam accommodata, subtili et firma rerum, in quibus occuparetur, et praesidiorum et adjumentorum, quibus uteretur, cognitione nixa et suis a rerum natura praescriptis legibus adstricta esset? Hac igitur duce in disserendo certae ubique viae tibi conscius, si non celeriter, at prudenter progredieris. Nam ars est dux certior, quam natura. (Cic. de fin. IV. 4.)* Sed satis de nominibus quidem artis dialecticae. Sequitur, ut interiorrem ejus naturam et magnum in philosophia Platonica usum explanemus. Id

*) Cicero de Platonis arte disserendi exposuit in Acad. I, 5. et pluribus I, 8, et de arte disserendi in universum de Fin. II, 6., de Leg. I, 24., de Orat. II, 36. Acad. II, 28., de Off. I, 3., Topic. 2., Orat. 33., Brut. 41.

quod non aliter effectum iri arbitror, quam si primum, quem finem arti dialecticae Plato proposuerit, deinde qua via ad hunc finem pervenerit, demonstratum fuerit.

II. De fine artis dialecticae.

Occurret hic statim celebratissimus ille locus Theateti (p. 149 — 151.), in quo Socrates ipse de arte sua disserendi, a Platone postea accepta magisque exulta, uberius exposuit. Quum autem sit longior, quam qui verbotenus exscribi possit, sententiarum summam referemus. Dicit enim Socrates, se eandem, quam mater, exercere artem abstetriciam. Ut enim abstetrix ipsa non amplius pariendo par, aliis parturientibus opem ferat iisque, ut ex re sit, dolores partus variis remediis et incantationibus excitet molliatve; ita et ipsum sapientiae quidem expertem (*ἄγονον σοφίας*) neque ullius rei gnarum alios, qui sua consuetudine utantur, in inveniendō vero ita adjuvare, ut, modo ne suam disciplinam justo citius deserant, mirum quantum proficiant et ipsi ex se multa praeclara invenisse sibi videantur; suis autem discipulis idem accidere ac parturientibus, ut quasi alicujus partus dolores sentiant et per noctes diesque crucientur dubitationibus, quae ipsius arte in iis excitentur vel repellantur. Deinde ut obstetrix pronubae instar probe intelligat, quales ad optimos liberos procreandos connubium inire debeant, ita se ipsum, quos notionibus in animo insitis vacuos et ingenio sterili praeditos sua opera non indigere existimet, ad eos magistros mittere, ex quorum disciplina majorem fructum percipere possint. Denique quem ad modum maximum et pulcherrimum obstetricis munus foret, si mulieribus accideret, ut nunc vanos nunc veros partus ederent, dijudicare vanos a veris, ita etiam in sua arte maximum esse, quovis modo explorare, utrum animi cogitatio vanas species et commenta, (*εἰδωλον καὶ ψεῦδος*) an sincera et vera pepererit. Finis igitur artis dialecticae hic a Socrate in explorandis adolescentium animis ponitur, ut cognoscatur, an ingenii ubertate et sagacitate ad verum indagandum excellant; quem ad modum idem de Rep. VII. p. 537. D. satis jam aliis artibus literisque eruditos arte dialectica explorandos judicavit, utrum oculorum aliorumque sensuum iudicio sublato idea-

rum veritatem ipsam appetere possint. Σκοπεῖν enim, inquit, δεήσει σέ, τῇ τοῦ διαλέγεσθαι δυνάμει βασανίζοντα, τίς ὁμμάτων καὶ τῆς ἄλλης αἰσθήσεως δύνάτος μεθιέμενος ἐπ' αὐτό τὸ ὄν μετ' ἀληθείας ἵέναι. Deinde arti dialecticae hoc propositum esse patet, ut scitis interrogationibus alii verum inquirentes adjuventur, investigata autem in ventaque dijudicentur an vera falsave sint; quo dubitandi ambigendique, quod quidem est cogitandi initium, larga materia suppetente, in animo investigantis amor veri amplectendi vehementer exardescat. Inde in Menonis p. 80. A. Socrates tropedinis instar alios in torporem conjicere traditur, et in Theaet. p. 161. E. hoc artis dialecticae proprium esse significatur, ἐπισκοπεῖν καὶ ἐπιχειρεῖν ἐλέγχειν τὰς ἀλλήλων φαντασίας τε καὶ δόξας. Errorum autem omnium, quibus quis decipi potest, non est ullus homini turpior et perniciosior, quam si quis, quod nescit, scire se putat. Hoc enim non majus impedimentum invenitur, quo minus in veri investigatione proficias. Maximum igitur et gravissimum artis dialecticae officium esse statuitur in Soph. p. 130. A. B. C. istum imprimis errorem persequi atque ex hominum animis expellere. Quod tamen ipsum nisi sciscitando de iis ipsis, quae quis scire se putet et responsis, quae reddita sint, inter se comparandis fieri non posse, quo qui vanam rerum scientiam ostentent, ipsorum opiniones de eadem re secum pugnare intelligant et erroris convictos stultitiae pudeat. Quod autem interrogandi arte veri studiosos admodum juvari dixit, id in Menonis l. l. et copiosius explicuit Socrates et celeberrimo servi de ratione quadrati duplicandi scite respondentis exemplo ita illustravit, ut omnem cognitionem humanam nihil aliud esse doceret, nisi recordationem earum rerum, quas olim ante hanc nostram vitam animus humanus omnem rerum universitatem perlustrans perceperit. Unde necessario effici, ut, quae rerum notiones in animis humanis impressae remanserint, artificiosa et indefessa interrogatione suscitari et in memoriam revocari possint. Ex quo apertum est, hoc arti dialecticae a Platone propositum esse, ut ejus ope insitae animo humano notiones proficiantur, excussae et ab omni parte probatae et idoneis argumentis firmatae in disciplinae formam redigantur Cf. p. 86. A. *Εἰ οὖν ὄν ἂν χρόνον καὶ ὄν ἂν μὴ ἢ ἄνθρωπος, ἐνέσσονται αὐτῷ ἀληθεῖς δόξαι, αἱ ἐρωτήσει ἐπεγεροθεῖσαι ἐπιστήμαι γίγονται,* et paulo post οὐκοῦν εἰ ἀεὶ ἡ ἀλήθεια ἡμῖν τῶν ὄντων ἐστὶν ἐν τῇ ψυχῇ,

ἀθανατὸς ἂν ἡ ψυχὴ εἴη; ὥστε θαρροῦντα χρὴ ὁ μὴ τυγχάνεις ἐπιστάμενος νῦν, τοῦτο δ' ἐστὶν ὁ μὴ μνησθένος, ἐπιχειρεῖν ζητεῖν καὶ ἀναμνησθεσθαι. At vero eundem et paulo altiozem etiam artis dialecticae finem eumque in idearum ipsarum natura indaganda collocatum significavit Plato in Phileb. p. 58. sqq., ubi disserendi ars omnem aliarum rerum scientiam, de qua quidem antea expositum est, ut computandi, metiendi, ponderandi complecti et veritate sua longe superare (μακροῦ ἀληθεστάτη εἶναι γνώσις) dicitur, quippe quae περὶ τὸ ὄν, καὶ τὸ ὄντως καὶ κατὰ ταυτὸν ἀεὶ πεφυκὸς i. e. circa res veras et sempiternas versetur. Deinde quum Socrates clarius exposuisset, se non artem quaerere, quae hominibus plurimum commodi afferat, sed quae certo, vero, sincero indagando maxime inserviat (τὸ σαφὲς καὶ τὸ ἀκριβὲς καὶ τὸ ἀληθέστατον ἐπισκοπεῖ), rhetoricae quidem arti maximam utilitatis laudem concessit, sed dialecticae et propter ipsum verum, quod persequatur, et propter rationis et intelligentiae, quae ei insit, sinceritatem et puritatem principatum vindicavit. Verba ita se habent: ἀλλ' ὅρα — — καὶ νῦν δὴ σφόδρα διανοηθέντες καὶ ἰκανῶς διαλογισάμενοι μήτ' εἰς τινὰς ὠφελείας ἐπιστημῶν βλέψαντες μήτε τινὰς εὐδοκίμιας, ἀλλ' εἴ τις πέφυκε τῆς ψυχῆς ἡμῶν δύναμις ἐρᾶν τε τοῦ ἀληθοῦς καὶ πάντα ἕνεκα τούτου πράττειν, ταύτην εἰπόμεν, διεξερευνησάμενοι τὸ καθαρὸν νοῦ τε καὶ φρονήσεως εἰ ταύτην μάλιστα ἐκ τῶν εἰκότων ἐκτῆσθαι φαίμεν ἂν, ἢ τιν' ἑτέραν ταύτης κυριωτέραν ἡμῶν ζητητέον. In quibus verbis primum, ne hoc taceam, non est, quod cum Stallbaumio, V. C., ad anacoluthon confugiamus, modo verbis οὐδὲ γὰρ usque ad αὐτῷ τῷ ἀληθεστάτῳ in parenthesi positus, illud ἀλλ' ὅρα statim ad Coniunctivum εἰπόμεν referatur, ut haec sit loci difficilioris sententia: at vide modo — — re probe et accurate considerata neque ad quasdam disciplinarum utilitates neque ad earum existimationem respectu habito, si qua vis veri amplectendi animo innata est, (vide igitur, an) hanc appellemus illam disserendi facultatem, perscrutati, utrum in hac, ut consentaneum est, rationis et intelligentiae integritatem inesse dicamus, an alia quaedam hac praestantior quaerenda sit. Sequitur χαλεπὸν εἶναι, συγχωρεῖσθαι, τινὰ ἄλλην ἐπιστήμην ἢ τέχνην τῆς ἀληθείας ἀντέχεσθαι μᾶλλον ἢ ταύτην i. e. τὴν διαλεκτικὴν. Nam reliquae disciplinae artesque opinionum temeritatem sequuntur et quae ad opiniones pertinent, omni studio exquirunt. Cf. de Rep. 533. B. Quod si quae de ceterarum artium natura Plato disputavit

cum illis comparaveris, artis dialecticae longe ab iis diversum et altio-
 rem esse finem, facile patet. Nam ut artibus et disciplinis plurimis propositum est, ut in rerum terrestrium
 sensibusque subjectarum contemplatione versentur, ita dialecticae finis in eo cer-
 nitur, ut animus ad perfectas et absolutas veri, pulchri, honesti, aliorum for-
 mas, quas Plato ideas vocavit, cognoscendas conformetur et altius erigatur.
 Deinde ut plurimae artes et disciplinae, quum in rerum inquisitione praeter opi-
 nionum commenta nihil habeant, quod sequantur, imo cupiditatibus serviant, ad
 incertam verisimilitudinem solum pervenire possunt, ita in arte dialectica, quae
 a corporis sordibus pura et sensuum turbis tuta, summa rationis et consilii (*νοῦ
 καὶ φρονήσεως*) integritate et sinceritate adjuvetur, omnia eo redeunt, ut firmam
 constantemque veri scientiam consequaris. Etenim rerum ait Plato non esse cer-
 tam scientiam et intelligentiam, quae neque unquam constantes sint, neque quid-
 quam firmi contineant, sed Heraclito auctore aeterno flumine labantur; firmi autem
 naturam et puri et veri et, quod dictum sit, sinceri, quae quidem omnis scientiae
 fundamenta sunt, in iis inveniri, quae semper sibi constant neque quidquam alieni
 admixtum habeant, aut certe in iis, quae illis sint maxime cognata. Cetera autem
 omnia secundo et posteriore loco esse habenda. Cf. p. 59. B. Οὐδ' ἄρα νοῦς οὐδέ
 τις ἐπιστήμη περὶ αὐτὰ (τὰ κατὰ ταυτὰ μήποτε ἔχοντα μηδὲ κεκτημένα βεβαιότητα
 μηδὲ ἠντιοῦν) ἐστὶ τὸ ἀληθέστατον ἔχουσα, et C. Ἡ περὶ ἐκεῖνα ἐσθ' ἡμῖν τό τε βέ-
 βαιον καὶ τὸ καθαρόν καὶ τὸ ἀληθές καὶ ὃ δὴ λέγομεν εἰλικρινές, περὶ τὰ αἰεὶ κατὰ
 ταῦτα ὡσαύτως ἀμικτότατα ἔχοντα, ἢ δεύτερος (πλοῦς) ἐκείνων ὅτι μάλιστα ἐστὶ σύγ-
 γινες, τὰ δὲ ἄλλα πάντα δεύτερά τε καὶ ὕστερα λεκτέον. Fieri autem posse, ut ani-
 mus humanus ad illarum perfectarum rerum perspicientiam dialecticae ope enita-
 tur, ita probare studuit, ut eandem animi humani ac rerum divinarum naturam
 et indolem esse doceret Phileb. p. 65. C. Νοῦς δὲ ἦτορ ταῦτόν καὶ ἀλήθειά ἐστιν,
 ἢ πάντων ὁμοιότατόν τε καὶ ἀληθέστατον. Cf. Phaed. p. 79. et 80. B. Τῷ θεῷ καὶ ἀθα-
 νάτῳ καὶ νοήτῳ καὶ μονοειδεῖ καὶ ἀδιάλυτῳ καὶ αἰεὶ ὡσαύτως καὶ κατὰ ταῦτα ἔχον-
 τι ἐαντιῷ ὁμοιότατον εἶναι ψυχῆν (συμβαίνει). Atque egregio exemplo hanc arctam
 rationis et rerum ejus vi cognoscendarum necessitudinem de Repub. p. 508. C.
 illustravit ostendens inter ideam boni, quae omnium idearum summa est et quasi
 regina, et inter res, quas mente complectamur et mentem ipsam eandem rationem

intercedere, quae inter solem et res sensibus subjectas et sensum ipsum intersit. Τοῦτον (τὸν ἥλιον) λέγω τὸν τοῦ ἀγαθοῦ ἔκγονον, ὃν τὰγαθὸν ἐγέννησεν ἀνὰ λόγον ἑαυτῷ, ὃ, τι περ αὐτὸ ἐν τῷ νοητῷ τόπῳ πρὸς τε νοῦν καὶ τὰ νοούμενα, τοῦτο τοῦτον ἐν τῷ ὁρατῷ πρὸς τε τὴν ὄψιν καὶ τὰ ὁρώμενα.

Sed ut certioribus etiam terminis artis dialecticae campum circumscriberet ejusque summum finem accuratius indicaret, illas ipsas res, quae sola cogitatione et mentis acie comprehendi possunt, in duo genera divisit. Quorum in altero eae res continentur, in quarum investigationem mathematici sensuum auxilio utentes neque ab exploratis principiis profecti studium et operam conferunt; alterum autem est earum, quae sola ratione, sensuum judicio sublato et fundamentis cujusvis quaestionis rite positae, percipiuntur. Atque hoc, quod in ultimo loco positum est, rerum genus ab omni parte explorandum et ab labe quavis purgandum, quo magis divina earum natura et splendor elucescat, arti dialecticae tribuit. Philosophos enim eos esse dicit (de Rep. p. 476. extr.), qui rerum aeternarum et semper sibi constantium scientiam sine sensuum auxilio, sola rationis ope et certis principiis positae, certa via consequi possint; neque vero eos ita appellandos, qui perpetua rerum, quae in sensus incurrant, mutatione et vicissitudine et opinionum vi huc illuc agitentur neque certi quicquam verique habeant, in quo firmiter insistere possint. Illas autem sempiternas et perfectas rerum species, quas tanquam e longinquo monstratas animus ut propius spectet, immensum quantum alliciatur, eorumque rationes a sapiente non posse penitus perspicere et aperiri, nisi dialecticae artis usu et opera. de Rep. 532. A. Ὅταν τις τῷ διαλέγεσθαι ἐπιχειρῇ ἄνευ πασῶν τῶν αἰσθήσεων διὰ τοῦ λόγου ἐπ' αὐτὸ ὃ ἔστιν ἕκαστον ὁρμῶν καὶ μὴ ἀποστῇ πρὶν ἢν αὐτὸ ὃ ἔστιν ἀγαθὸν αὐτῇ νοήσει λάβῃ, τότε δὴ ἐπ' αὐτῷ γίγνεται τῷ τοῦ νοητοῦ τέλει. Τί οὖν; οὐ διαλεκτικὴν πορείαν ταύτην τὴν πορείαν καλεῖς; Τί μὴν; 533. A. Τόδε γοῦν οὔδεις ἡμῖν ἀμφισβητήσει λέγουσιν, ὡς αὐτοῦ γε ἕκαστον περὶ ὃ ἔστιν ἕκαστον, οὐκ ἄλλη τις ἐπιχειρεῖ μέθοδος ὁδῶν περὶ πάντος λαμβάνειν sc. ἢ ἡ διαλεκτικὴ. et 534. B. Ex quo facile intelligitur, id quod a nobis alia disputatione copiosius explicabitur, quam late artis dialecticae vis pateat et quam arcte cum eo cohaereat, quod uni-

versae philosophiae Platonicae est propositum.*) Posteaquam autem de nominibus et fine artis disserendi Platonicae exposuimus, restat, ut singula Platonis praecepta de ejus usu explanentur.

III. De usu artis dialecticae.

Usus autem artis dialecticae a Platone ponitur praecipue in notionibus vario modo copulandis et recte dividendis, deinde in argumentis subtiliter examinandis, ponderandis, scite concludendis, denique omnino in constituenda certa philosophandi ratione atque in quaestione, firmis fundamentis positus, ad propositum accommodate dirigenda. Atque de notionum tractatione exponitur in Phaedr. p. 265. D. cl. 273. E. his verbis: *Τούτων τινῶν ἐκ τύχης ῥηθέντων δυοῖν εἰδοῖν εἰ αὐτὴν τὴν δύναμιν τέχνη λαβεῖν δύναίτο τις, οὐκ ἄχαρι, εἰς μίαν τε ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῆ διεσπαρμένα, ἵνα ἕκαστον ὀριζόμενος δῆλον ποιῆ, περὶ οὗ ἂν αἰεὶ διδάσκειν ἐθέλῃ;* et paulo post (*Τὸ δ' ἕτερον δὴ εἶδος ἐστὶ*) *τὸ πᾶν κατ' εἶδη δύνασθαι διατέμνειν καὶ ἄρθρα, ἧ πέφυκε καὶ μὴ ἐπιχειρεῖν καταγνῖναι μέρος μηδὲν κακοῦ μαγείρου τρόπῳ χρώμενον.* Quo loco arti dialecticae hoc tribuitur, ut ejus usu singulae, quae disjunctae et ubique dispersae reperiantur, notiones ad unam ideam i. e. ad unum genus idque proximum revocentur, quo earum una quaeque justa definitione explanetur. Laudatur in hanc rem exemplum amoris, cujus natura paulo antea quum ad furoris (*μανίας*) genus revocaretur, sive bene sive male definita sit. Qua quidem ratione non dubium esse videtur Platoni, quin certa, perspicua et quae inter se congruant, aperiantur. Quum autem notione ad genus suum revocata definiendi negotium nondum absolutum sit, jure etiam alterum postulatur, ut idea sive notio generalis recte secundum membrorum compositionem i. e. secundum naturam et conjunctionem specierum, quae ei subjunctae sint, dividatur, neve, ut a malo coquo in apparandis epulis fieri soleat, in

*) De fine Platonicae Philosophiae proposito elegantissime disputavit celeberrimus Batavus van Heusde in *Initiis Philosophiae Platonicae* p. 53.

eas partes diffringatur, quae ab ejus natura plane abhorreant. Quod et ipsum amoris definiti exemplo antea laudato comprobatur. Furor enim, quo amoris vis contineatur, quum in suas formas, in laevum quendam et dextrum divisus esset, in laevo deinde iterum divisus ait laevum quendam amorem, in dextro autem divinum illum omnium bonorum auctorem repertum esse. His enim notionum collectionibus et divisionibus ut omnis definiendi subtilitas comprehensa sit, ita etiam dicendi et cogitandi sollertia parari et augeri judicatur p. 266. B. *Τούτων δὴ ἔγωγε αὐτὸς ἔραστῆς, τῶν διαίρεσεων καὶ συναγωγῶν, ἵν' οἷός τε ᾧ λέγειν τε καὶ φρονεῖν.* 273. E. *Ἐὰν μὴ τις κατ' εἶδη τε διαριεῖσθαι τὰ ὄντα καὶ μιᾷ ἰδέᾳ δυνατός ἢ καθ' ἓν ἕκαστον περιλαμβάνειν, οὔ ποτ' ἔσται τεχνικὸς λόγων περὶ, καθ' ὅσον δυνατόν ἀνθρώπων.* In his autem ipsis rerum divisionibus et collectionibus quo modo arte dialectica sit utendum, praeclare est explicatum in Phileb. §. 13 — 18. Etenim quum Socratis disputatio de summo bono jam eo processisset, ut ea voluptatis et scientiae genera, in quibus summum bonum inesset, definirentur: ad illud praeclarum et ab omnibus antiquitus celebratum delabatur, unum esse multa et multa unum (*τὸ ἓν εἶναι πολλὰ, καὶ τὰ πολλὰ ἓν*). Quae vox si non vulgari et paene puerili usu ad res in conspectum cadentes transferatur, sed, ut philosophos deceat, ad res non orientes neque intereuntes neque ulli mutationi obnoxias, ad perfectas rerum ut hominis, pulchri, boni species adhibeatur, maximas dicit oriri dubitationes, primum, num quas tales rerum species sive notiones revera esse statui liceat; deinde quomodo unaquaeque et ab ortu et ab interitu immunis semper eadem manere dici possit; denique num illas ideas per rerum humanarum infinitatem diffusas et in multas partes divisas, an totas tanquam extra se ipsas positas saepiusque repetitas esse contendendum sit. Haec ait Socrates si male tractaveris, plena esse dubitationis et ambiguitatis, sin bene, hic aperire veritatis fontem. Vim enim illius dicti tantam esse tamque late patere, ut ubique circumferatur et in omnibus quaestionibus in usum vocetur, quin etiam in eo aliquid voluptatis inesse, immortale illud neque unquam senescens, quo quisque ad disputandum trahatur. Hinc etiam disserendi viam aperiri, qua non sit ulla pulchrior et excellentior, facilem illam quidem ad monstrandum, sed difficillimam ad ingrediendum. Nam ab antiquis

traditum nobis esse, quaecunque esse dicantur, ex uno et multis constare, finem autem et infinitatem simul in se conjuncta habere. Quae quum ita sint, censet, primum cujusque rei, quae ad investigandum sit proposita, generalem notionem esse quaerendam; qua inventa post unam duas, si forte reperiri possint, sin minus, tres sive alium quendam numerum, et singulas hac ratione inventas notiones pari modo dividendas et explorandas, dum quod initio ut unum positum sit, non solum unum et multa et infinita esse intellexeris, sed etiam scias, quot formas complectatur; infinitatis autem notionem ad rerum multitudinem non prius esse adhibendam, quam rerum numerum infinito et uno interjectum plane perspexeris. Unde intelligi debet, hanc veram et divinitus nobis traditam disserendi rationem in eo versari, ut in rebus investigandis primum summi generis notio quaeratur, eaque reperta in certas formas distribuatur et formae denuo in singulas res, atque formarum numero accurate definito ad rerum infinitatem procedatur. Nam addit, longe aliam esse vulgarem eorum rationem, qui universam rerum notionem ejusque diversas formas, sive unum et multa, ut casus ferat, debito festinantius tardius constituent, tum autem a generis notione statim ad rerum singularum infinitatem transilient. Illustratur hoc exemplis vocis et soni. Vox enim licet una sit ex ore emissa, tamen in omnibus ac singulis ejus innumeras esse formas dicit, neque qui solum eam esse unam neque qui infinitam sciat, ejus esse peritum, sed potius, qui, quot et quales ejus sint formae, intellexerit. Pariter sonorum varia esse genera et gravium et acutorum et mediorum eumque esse musicum, qui, quot et qualia sint sonorum intervalla cognoverit, et qui intervallorum termini et quot ex his systemata sive harmoniae et rhythmici et metra oriantur. Quem admodum autem e generis notione non justo citius ad rerum singularum infinitatem sit festinandum, ita contra cavendum, ne, quum a rerum infinitate quaestio sit exordienda, statim ad unum i. e. ad generis notionem progrediari, sed tum demum eo esse pergendum, quum res singulas easque infinitas ad certas formas, formas ad certa genera redegeris, ut Theut Aegyptius quidam quum vocis infinitatem animadvertisset, ejus species collectas ad certa genera digessisse fertur, et primum quidem genus vocalium, alterum consonantium, tertium mutarum literarum constituisse, tum singulis accurate distinctis elemen-

torum (στοιχείων) nomen tribuisse, et quum probe intellexisset, unam literam per se separatim cognosci non posse, nisi omnes sint perspectae, omnibus arctissimo vinculo conjunctis artem grammaticam praefecisse. Hic quis est, qui non sentiat, quam subtiliter, quam dilucide, denique quam egregie synthetica et analytica, quam hodie dicunt, notionum tractatio explanata sit?*) Idem est artis dialecticae usus in finibus, quibus et communitas et discrepantia notionum continetur, constituendis et regendis. Nam in Soph. p. 253. B. D. et 254. B. extr. praecepit Plato, ut certa ratione (μετ' ἐπιστήμης τινός) declaretur, ποῦα ποίοις συμφωνεῖ τῶν γενῶν καὶ ποῦα ἄλληλα οὐ δέχεται, καὶ δὴ καὶ πάντων εἰ συνέχοντα τοιαῦτα ἐστίν, ὥστε συμμίσγυσθαι δύναται εἶναι καὶ πάλιν ἐν ταῖς διαιρέσεσιν, εἰ δὲ ὄλων ἕτερα τῆς διαιρέσεως αἷτια. Et paulo post 254. B. ita de notionum necessitudine exposuit: τὰ μὲν ἡμῶν τῶν γενῶν ὁμολόγηται κοινωνεῖν ἐθέλειν ἀλλήλοις, τὰ δὲ μὴ, καὶ τὰ μὲν ἐπ' ὀλίγον, τὰ δ' ἐπὶ πολλὰ, τὰ δὲ καὶ διὰ πάντων οὐδὲν κωλύει τοῖς πᾶσι κεκοινωνηκέναι. Ex his jam difficiliora (p. 253. D.), in quibus rei cardo vertitur, verba explicanda sunt haec: Τὸ κατὰ γένη διαιρεῖσθαι καὶ μῆτε ταυτὸν εἶδος ἕτερον ἡγήσασθαι μῆτε ἕτερον ὄν ταυτὸν μῶν οὐ τῆς διαλεκτικῆς φήσομεν ἐπιστήμης εἶναι; Ναὶ, φήσομεν. Οὐκοῦν ὅγε τοῦτο δύνατος δοῦν μίαν ἰδέαν διὰ πολλῶν ἐνὸς ἐκάστου κειμένου χωρὶς, πάντη διατεταμένην ἰκανῶς διαισθάνεται καὶ πολλὰς ἑτέρας ἀλλήλων ὑπὸ μίας ἐξωθεν περιεχομένης, καὶ μίαν αὖ δι' ὄλων πολλῶν ἐν ἐνὶ ξυνημμένῃ καὶ πολλὰς χωρὶς πάντη διωρισμένας· τοῦτο δ' ἐστίν, ἥτε κοινωνεῖν ἕκαστα δύναται καὶ ὅπη μὴ, διακρίνειν κατὰ γένος ἐπίσταςθαι. Missis aliorum interpretum sententiis, quarum nulla mihi quidem prorsus probatur, statim quid ipse de hoc loco sentiam, dicam. Prima, in quibus nihil inest difficultatis, hoc sibi volunt: Secundum genera dividere, ut in Phaedr. l. l. κατ' εἶδη διατέμνεται i. e. aliquam notionem in formas suas dividere neque aliquam formam, quae cum alia sit eadem, ab ea diversam neque quae sit diversa, pro eadem habere i. e. neque diversas species confundere neque easdem disjicere, dialecticae disciplinae esse contendimus. In iis autem, quae sequuntur, quum ostendi apertum sit, quo vinculo inter se invicem notiones cohaereant, et quo modo discrepent: particula

*) Vid. Stallbaum, in Prolegomenis ad Philcb. p. LII.

αὐτῶν collatis verbis ultimis τοῦτο δ' ἔστιν etc., clarissime indicatur et cognationem et diversitatem binis modis significari. Primum eo notiones cognatae esse traduntur, quod μία ἰδέα διὰ πολλῶν, ἐνὸς ἐκάστου κειμένου χωρὶς, πάντῃ διατεταμένη ἐστίν, deinde autem quod πολλαὶ ἑτέροι ἀλλήλων ὑπὸ μιᾶς ἕξωθεν περιέχονται i. e. quod una notio generalis per multas res singulas i. e. per omnes ejus species, quarum unaquaeque ab illa et alia quavis diversa et separata est, penitus manat, multae autem species inter se contrariae una latius patente notione extrinsecus continentur. Quod si discrimen quaeris inter notionem generalem per multa singula undique diffusam et inter multas rerum species una superiore et latiore extrinsecus comprehensas, non in re ipsa invenies, sed in commutata dicendi ratione, quam cum alii scriptores tum Plato frequentant. Nam per se patet, si generis notio per omnia ac singula, quae ei subjuncta sunt, pertinet eaque comprehendit, haec illā comprehendit. Dicendi autem formulam διατεταμένον εἶναι διὰ πολλῶν, pertinere per multa, multa complecti, satis jam Heindorfius illustravit simillimis p. 253. A. et p. 255. E., ubi verborum χωρεῖν διὰ πάντων et διέρχεσθαι idem est sensus. Quibus addi potest locus Menonis p. 74. A. Τὴν μίαν ἀρετὴν, ἣ διὰ πάντων τούτων ἐστίν, οὐ δυνάμεθα ἀνευρεῖν, i. e. unam virtutem, quae has omnes ambitu suo complectatur, invenire non possumus. Cetera explicatione non egent. Sed quae sequuntur, notionum diversitati definiendae inserviunt, quae in eo collocatur, quod μία ἰδέα δι' ὅλων πολλῶν ἐν ἐνὶ ξυνημμένῃ ἐστὶ καὶ πολλαὶ χωρὶς πάντῃ διωρισμέναι εἰσίν. In quibus si primum singula verba spectamus, in locutione δι' ὅλων πολλῶν vocem ὅλων idem valere ac πάντων, locus (p. 253. B.) supra ad scriptus, ubi διὰ πάντων et δι' ὅλων promiscue dicuntur, luculenter probat. Τὰ ὅλα πολλὰ sive τὰ πάντα πολλὰ sunt res universae, quae in conspectum cadunt sive singulae sive rerum species, ut in Phaed. p. 78. E. τὰ πολλὰ καλὰ, ἴσα, δίκαια, alia opponuntur τῷ καλῷ, ἴσῳ, δικαίῳ αὐτῷ etc., et δι' ὅλων πολλῶν valet per universa multa h. e. per rerum singularum universitatem, sive in rerum singularum universitate, qui Praepositionis διὰ cum Genctivo junctae usus est sollennis, ut Gorg. 450. D. τὸ παράπαν πᾶσα ἢ πρᾶξις καὶ τὸ κῆρος αὐταῖς διὰ λόγων ἐστίν e. i. omnino omnis effectus et vis earum in verbis inest. et Demo.th. περὶ Συμμ. p. 185. ex edit. Reisq. τὰ νῦν διὰ τῶν λόγων φο-

βερά, quae nunc in verbis insunt acerba. Neque faciliora explicatu sunt, quae sequuntur *ἐν ἐνὶ ζυνημμένη ἐστίν*. Etenim nisi ex eo, quod antea in contrariam sententiam *μία ἰδέα διὰ πάντων διατεταμένη εἶναι* i. e. per omnes res singulas pertinere easque complecti dicebatur, colligi non potest, hanc sententiam esse, in uno, in una re singulari illam notionem conjunctam inveniri, sive, ut haec ipsa clarius enunciem, uni tantum rei denotandae et ab aliis discernendae illam *ἰδέαν* quasi notam inditam esse. Unde vix dubitari poterit, quin verba *μία ἰδέα δι' ὅλων πολλῶν ἐν ἐνὶ ζυνημμένη ἐστίν* hoc sibi velint, unam notionem per omnem rerum singularum universitatem uni tantum rei denotandae et cognoscendae adjunctam reperiri et multas res sive singulas sive rerum species aliis diversis notis plane disjunctas esse. Sensum igitur totius loci hunc esse existimo: Qui aliquid in genera dividere (*κατὰ γένη διαμεῖσθαι*) potest, tum unam generalem notionem per multas res singulas, quarum unaquaeque ab aliis separata est, aequabiliter pertinere easque complecti clare intelligit et multas rerum species inter se contrarias una notione tanquam externo vinculo comprehendi, tum unam notionem uni tantum rei singulari ex universis insigniendae adjunctam et singulas rerum species a se invicem prorsus disjunctas esse neque ulla notarum communitate contineri. Ex quo facile cognoscitur, cognatas eas dici notiones, quae generis communitate comprehendantur, eas autem diversas, quae notarum differentia inter se disjunctae sint. Atqui quum et generis et differentiae notio et vis magis minus late pateat, cognationis ipsius et diversitatis fines latiores angustiores esse necesse est.

Accedimus jam ad varias philosophandi rationes a Platone vel breviter adumbratas vel uberius expositas, ut in quibus artis dialecticae usus clarissime conspiciatur. Nam qui post notionum naturam explanatam deinceps fere in disciplina logica a philosophis tractari solent loci de judiciorum et argumentorum ratione conclusorum variis generibus et modis, denique omnino de judicandi et ratiocinandi subtilitate et elegantia, eos vel plane praeteriit silentio vel passim brevissime verbo tantum tetigit; quamquam ipse et subtilissime judicasse et elegantissime rationes conclusisse invenitur. Quin etiam jure dubitatum est, an hanc philosophiae par-

tem, quam post eum Aristoteles egregie persecutus Kantio iudice absolvit, cognitam et inchoatam saltem habuerit*) De philosophandi autem generibus primum hypotheticam investigandi rationem in Menonis p. 86. E. memoratam considerabimus. Verba sunt ejus modi: Συγγώρησον ἐξ ὑποθέσεως αὐτὸ σκοπεῖσθαι εἴτε διδασκὸν ἔστιν εἴτε ὁπωςοῦν (ἢ ἀρετῆ). λέγεις δὲ τὸ ἐξ ὑποθέσεως ὧδε, ὡς περ οἱ γεωμέτραι πολλάκις σκοποῦνται. Οὕτω δὴ καὶ περὶ ἀρετῆς ἡμεῖς ἐπειδὴ οὐκ ἴσμεν οὐθ' ὅ, τί ἔστιν οὐθ' ὁποῖόν τι, ὑποθέμενοι αὐτὸ σκοποῦμεν εἴτε διδασκὸν εἴτε οὐ διδασκὸν ἔστι, ὧδε λέγοντες, εἰ ποῖόν τι ἔστι τῶν περὶ τὴν ψυχὴν ὄντων ἀρετῆ, διδασκὸν ἂν εἴη ἢ οὐ διδασκὸν; πρῶτον μὲν εἰ ἀλλοῖον ἢ οἶον ἐπιστήμη, ἄρα διδασκὸν ἢ οὐ; Etenim quum Meno in definitione virtutis infelici successu usus amplius, quid virtus sit, quaeri nolit; Socrates ut ejus quaestioni ab initio propositae, num virtus doceri possit, satisfiat, mathematicorum more ex hypothesi quaerendum esse censet, quid eorum, quae animi sunt propria, virtutem esse necesse sit, ut doceri possit, num scientiam, an aliud quid, ut doceatur. Quo affirmato, num virtus sit scientia, quaeritur. Ex quibus quis est, quin intelligat, eam hic dici hypotheticam disserendi rationem, qua alicujus rei veritas, alia sumta sententia, unde ejus judicium suspensum sit, probetur vel refutetur, sive qua quaestio proposita ad aliam latius patentem, ex qua ejus solutio pendeat, referatur illaque diremta ipsa dirimatur, ut haec ipsa quaestio, num virtus doceri possit, relata ad aliam, an sit scientia, dirimenda esse existimatur, quum sit in promptu, quamvis scientiam doceri posse? Eadem ex hypothesi quaerendi ratio ad exercendam disputandi sollertiam Socrati adolescenti a sene Parmenide studiose commendatur in Parm. p. 136. A. B. C. eique admodum suadet, ut, quidquid ab eo sumtum fuerit, semper quaerat, quid inde, omnium, quae consideranda sint, ratione habita, consequatur necesse sit; ut si idem, ac Zeno, sumtum velit, esse rerum multitudinem (εἰ πολλά ἔστιν), consideret, quid inde multitudini ipsi per se accidat et respectu ad unum (τὸ ἓν) habito, atque uni ipsi per se eidemque ad multitudinem relato; deinde rerum multitudo si esse negetur, ex integro investiget, quid tum uni tum multitudini per se separatim et conjunctis inde accidat; item

*) Cf. Tennemanni System, II, 237.

si similitudinem esse ponat aut tollat, ut quid ex utraque hypothesis eveniat, exploret, et iis ipsis, quae sumta sint et ceteris tum per se singulis tum ad se invicem relatis. Idem cadere in dissimilitudinem et quietem et ortum et interitum et in ipsam essentiam ejusque contrarium et quiquid sumtum fuerit esse sive non esse sive alio modo affectum, ut exploret, quae inde eveniant et iis ipsis, quae posita sint et singulis ceteris rebus, quascunque in medium protulerit, et pluribus et cunctis itidem, ut reliqua ipsa perlustret et per se et ad aliud quiddam, quidquid spectaverit, relata, sive illud, quod sumtum sit, esse affirmetur sive negetur. Alias enim rerum veritatem attingi non posse. Quorum verborum sententia quum per se pateat, nihil est, quod ei explicandae addam nisi hoc, unam tantummodo hic designari quaerendi rationem, quae in exquirendis et examinandis iis, quae hypothesis aliquam sequantur ex eaque proficiscantur, versetur, quo quam vim illa consequentia in ceteris omnibus ac singulis, quaecunque hic spectanda sunt, exserant, cognoscatur. Altera autem inquirendi ratio, qua tanquam inverso vursu rerum causae et sententiarum rationes investigentur earumque inventarum iterum altiora et superiora quaerantur principia, donec ad summum supremumque perveneris, cum hac ipsa, quam modo laudavimus, methodo conjuncta in Phaedonis p. 199. E. celebratur, ubi Socrates, quum investigatio naturae rerum non prospere successisset, sibi placuisse narrat, non sensuum, sed rationis ope rerum veritatem exquirere. Ἐδοξε δὲ μοι χρῆναι εἰς τοὺς λόγους καταφυγόντα ἐν ἐκείνοις σκοπεῖν τῶν ὄντων τὴν ἀλήθειαν. Quam quidem quaestionem ita instituendam esse judicavit, ut quas rationes (λόγους) certissimas esse existimaret, sumeret et quae cum iis congruerent, vera, tum in causarum tum in ceterarum rerum investigatione, quae pugnarent, falsa esse, contenderet; ἀλλ' οὖν δὴ ταύτη γέ ὤρμησα καὶ ὑποθέμενος ἐκείνοτε λόγον, ὃν ἂν κρίνω ἐρῶμενίστατον εἶναι, ἃ μὲν ἂν μοι δοκῆ τοῦτω συμφωνεῖν, τίθρημι ὡς ὄληθῆ ὄντα καὶ περὶ αἰτίας καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἀπάντων, ἃ δ' ἂν μὴ, ὡς οὐκ ὄληθῆ. Nam a Socrate et ipso hic ita judicatur, e sententia vera falsa recte proficisci non posse. Quo modo autem ipsius hypotheseos veritas sit firmanda et ab impugnantibus tuenda, egregie p. 101. D. his verbis docetur: Εἰ δέ τις αὐτῆς τῆς ὑποθέσεως ἔχοιτο, χαίρειν ἐώης ἂν καὶ οὐκ ἀποκρίναιο, ἕως ἂν τὰ ἀπ' ἐκείνης ὀρηθῆντα σκέψαιο, εἴ σοι ἀλλήλοις συμφω-

νεὶ ἢ διαφωνεῖ· ἐπειδὴ δὲ ἐκείνης αὐτῆς δέοι σε διδόναι λόγον, ὡσαύτως ἂν διδοίης
 ἄλλην αὐτὴν ὑπόθεσιν ὑποθέμενος, ἥτις τῶν ἄνωθεν βελτίστη φαίνοιτο, ἕως ἐπὶ τι ἰκα-
 νὸν ἔλθοις, ἅμα δὲ οὐκ ἂν φύροιο, ὡς οἱ ἀντιλογικοὶ περὶ τε τῆς ἀρχῆς διαλεγόμενος
 καὶ τῶν ἐξ ἐκείνης ὠρμημένων, εἴπερ βούλοιο τι τῶν ὄντων εὐρεῖν. i. e. sin autem
 quis hanc ipsam hypothesin premat et impugnet, illum nihil moraberis, neque ei
 respondebis, donec ipse intellexeris, an quae ex illa consequantur, secum invicem
 consentiant dissentiantve. Quod si illius ipsius hypotheseos rationem te reddere
 oporteat, identidem reddes, ut aliam, quam superiorum optimam verissimamque
 esse appareat, sumas, dum ad id, quod tuo proposito satisfaciatur, perveneris. Quo
 inquirendi genere simul hoc consequeris, ne, ut contentiosi sophistae, disserens
 de rerum principio et de iis, quae inde efficiuntur, turberis et huc illuc agiteris,
 si quidem aliquid veri invenire velis. Habemus igitur hic quoque collato, quem modo
 laudavimus, Parmenidis loco utrumque illud, quod celebratur, philosophandi
 genus paucis clarissime descriptum, syntheticum dico et analyticum. Quorum
 alterum in exquirendo et examinando eorum, quaecumque ex aliqua sententia con-
 sequuntur, consensu dissensuque positum est, quo vera an falsa sint, dijudicetur,
 alterum autem in rerum causis et argumentorum rationibus explorandis versatur,
 ut causarum inter se nexarum seriem tanquam remetiens ad summum principium
 pervenias ab iisque, quae ut initia disputandi sumta et quomodocumque probata
 sunt, ad rationes, quibus argumenta nituntur, regrediendo certam et ab omni
 parte idoneam rationem invenias. Probe autem est tenendum, horum philoso-
 phandi generum neutri praerogativam tribui, imo suum utrique locum assignari;
 dialecticae igitur esse subtilitatis utrumque suo loco ita adhibere, ut qui promit-
 tuntur fructus animi in inquirendo vero constantis neque fluctuantis, percipian-
 tur. Postremo hic artis dialecticae usus in vero investigando comparata mathema-
 tica quaerendi ratione etiam certius difinitur uberiusque illustratur de Rep. p. 510. B.
 primum his verbis: *Τὸ μὲν τοῦ νοητοῦ τοῖς τότε τμηθεῖσιν ὡς εἰκόσι χρωμένη ψυχῇ
 ζητεῖν ἀναγκάζεται ἐξ ὑποθέσεων οὐκ ἐπ' ἀρχὴν πορευομένη, ἀλλ' ἐπὶ τελευτῆν, τὸ
 δ' αὖ ἕτερον ἐπ' ἀρχὴν ἀνυπόθετον ἐξ ὑποθέσεως ἰοῦσα καὶ ἄνευ τῶν περὶ ἐκείνο
 εἰκόνων αὐτοῖς εἰ δέοι δὲ αὐτῶν τὴν μέθοδον ποιουμένη,* quorum sententia ita se-
 habet: In mathematicorum cognitione animus figuris rerumque simulacris et rebus

ipsis, quae in sensus cadunt, in usum adhibitis ex hypothesis incertis verum quaerere cogitur, non ad aliquod principium proficiscens, sed ad finem i. e. ad eorum, quaecunque ex sumtis consequuntur, multitudinem progrediens; alterum autem rerum mente comprehendendarum genus ab animo ita cognoscitur, ut ab hypothesis aliqua profectus sine illis rerum imaginibus sola notionum ipsarum ope adjutus quaestionem ad summum principium (*τὴν ἀρχήν*) perducas. Quae statim copiosius exponuntur. Nam mathematicos dicit Plato in computationibus et dimensionibus multa ponere, ut aequalium et inaequalium, figurarum, angulorum naturam, nulla eorum ratione neque sibi neque aliis reddita, quasi haec omnia essent cuique clarissima et certissima ut quae maxime. E quibus principiis positus deinde profectos a ceteris, quaecunque inde colligantur, persequendis non prius desistere, quam eorum disquisitio semper secum consentiens ad id, quod probatum velint, pervenerit. Ad quaestiones autem illustrandas eos res sensibus subjectas earumque imagines et quaecunque delineent fingantque, adhibere, non eorum rationem quaerentes, quae descripta conspiciantur, sed quae animo obversentur. Inde fieri, ut mathematici, quum ultra ea, quae posuerint, progredi non liceat, certum principium non attingant, sed tanquam secundo consequentium flumine ad quaestionis finem deferantur. Aliam earum rerum esse rationem, quae sola mentis agitatione, artis dialecticae usu cognosci possint, ubi hypotheses non ut certa principia et fundamenta, sed ut verae hypotheses i. e. initia quaedam quaerendi ponantur, ut ad summum rerum principium, quod amplius non sit positum (*μέχρι τοῦ ἀνυποθέτου*), pervenias idque assecutus iterum ea, quae cum eo cohaereant, persequens ad id, quod tibi sit probandum, descendas, omni sensuum rerumque sensibus obviarum auxilio sublato, sed una notionum ope usus ad eas ipsas cognoscendas atque in notionibus quaerendi finem facias. Quae cum ita sint, discrimen mathematicae et dialecticae quaerendi rationis in duabus maxime rebus cernitur, primum quod mathematici quaedam nondum explorata tanquam certa et perspicua ponunt, quibus quaestiones probationesque superimponant eorumque, quae inde efficiuntur, progressum sequentes eo, quo tendunt, perveniunt; dialectici autem nihil, quod non certum et exploratum sit, ponunt, sed sumunt modo quaedam exordia quaerendi, unde disputatio profecta per continuum causarum ratio-

numque inter se colligatarum ordinem et seriem regrediens ad verum rerum principium ascendat, quo perspecto omnia ac singula explorentur; sive ut rem nostratum more declarem, mathematici synthetica, dialectici autem analytica disserendi ratione in exquirendo vero utuntur. Deinde mathematici in suis quaestionibus ad naturam et rationes eorum, quae animo obversantur, sive figurarum, sive corporum sive numerorum explicandas res sensibus subjectas earumque simulacra, figuras aliaque adhibent; dialectici autem illorum omnium usu detracto sola notionum ope uti quaestiones ad exitum perducunt. Unde sequitur, ut dialectica rerum, quae vere sunt et mente comprehenduntur, cognitio certior sit, quam quae in mathematicis disciplinis reperiatur. Eodem sensu p. 533. B. geometria et quae eam sequantur doctrinae, de eo, quod est (*τὸ ὄν*), somnari dicuntur, neque quidquam vigilanter perspicere posse, dum hypotheses, quibus nitantur, immotae intactaeque maneant neque earum ratio reddatur. Quum enim incerto et ignoto fundamento reliqua omnia superstructa sint, qui tandem inde certam scientiam oriri posse? Contra dialecticam artem sublatis iis hypothesis, quae in principiorum numero habeantur, eo spectare, ut ipsum principium confirmetur, animique oculi humanarum rerum luto obruti sensim erigantur et sursum ad divinarum rerum lucem tollantur, mathematicis aliisque disciplinis adjutricibus et ministris. Nam multis a Platone de Rep. p. 523 sqq. ostenditur, mathematicorum studia, quae ipsa in aeternarum neque mutationi ulli obnoxiarum rerum cognitione versentur, (de Rep. 527. B. *τοῦ ἀεὶ ὄντος ἡ γεωμετρικὴ γνῶσις ἐστίν*) non solum ad subigenda acuendaque adolescentium ingenia disserendique facultatem augendam plurimum valere, sed etiam quae eorum opera inventa sint, dialecticis, quicumque harum rerum non prorsus sint imperiti, in usum convertenda tradi. Euthyd. p. 290. B. C. *Οἱ δὲ γεωμέτραι καὶ οἱ ἀστρονόμοι καὶ οἱ λογιστικοὶ — θηρευτικοὶ γὰρ εἶσι καὶ οὗτοι, οὐ γὰρ ποιοῦσι τὰ διαγράμματα ἕκαστοι τούτων, ἀλλὰ τὰ ὄντα ἀνευρίσκουσιν — ἅτε οὖν χρῆσθαι αὐτοὶ αὐτοῖς οὐκ ἐπιστάμενοι, ἀλλὰ θηρεῦσαι μόνον παραδιδόασιν δῆπου τοῖς διαλεκτικοῖς καταχρῆσθαι αὐτῶν τοῖς εὐρήμασιν, ὅσοι γε αὐτῶν μὴ παντάπασιν ἀνόητοί εἰσιν.*

Quod si quaecunque hactenus de Platonis arte dialectica disputavi, animo complector, me non fugit, de pluribus locis et rebus uberius disputari posse et

debere etiam, ut omnes, quae divini philosophi et subtilissimi disputatoris interpreti occurrunt difficultates, removeantur atque quaecunque a proposito non aliena undique in quaestionem veniunt, excutiantur et dirimantur. Quae brevitas si cui vituperanda videatur, hunc rogatum volo, secum reputet, me finibus scriptioni hujus generis statutis coactum esse, ut orationem plus quam semel contraherem multaque resecta sequenti dissertationi reservarem, qua eximia subtilitatis Platonicae exempla illustrabuntur eaque, quae inde ad artem dialecticam accuratius etiam et penitus cognoscendam conjici possunt, colliguntur. Tum vero etiam vel ex istis, quae collegi, conjecturam certe de artis dialecticae natura et vi orituram esse arbitrabar, non ignorans, nisi omnibus, quaecunque huc pertinent, explicatis, ei explanationem plenam et perspicuam adhiberi non posse. Ex iis enim, quae hactenus exposui, patet primum, eam dici aequabilem et quietam disserendi rationem et scientiam, cujus ut externa species in interrogandi et respondendi sollertia cernatur, ita vis et indoles posita sit in legum, quibus est adstricta, constantia, in certa cognitione et usu subsidiorum viarumque, quibus progrediatur, praecipue in sermonis effectu altius in animum penetrantis ejusque vires et studia acrius incitantis; deinde huic arti eum a Platone finem propositum esse, ut ejus ope obscurae et perplexae notiones, quarum infinita multitudo menti humanae insidet, interrogando suscitentur, explorentur, ad perspicuitatem perducantur; quo opere confecto animus a sensuum judicio et opinionum temeritate abstractus ad aeternas illas absolutasque veri, boni, pulchri, aliarum hujus modi rerum formas in dies magis perspicendas conformetur et adducatur, ex quo fonte solo certa atque a perpetuo humanarum rerum flumine remota scientia oriri possit. Postremo perspicuum est, summum illius artis dialecticae finem nos assequi non posse, nisi notionibus recte copulatis et divisis, unde cujusque rei justa definitio nascatur, rerumque rationibus subtiliter examinatis et argumentis rite conclusis, denique eo quaerendi genere adhibito, ut nihil sumatur, quod non sit certum exploratumque, sed potius ut fundamento firmiter posito quaestio innixa ad principium summum progrediatur, unde quidquid tandem quaesitum sit, idoneis causis probe- tur et confirmetur.



debere etiam, ut omni
 prei occurrunt difficul
 undique in quaestionem
 vituperanda videatur,
 hujus generis statutis
 multaque resecta sequ
 nicæ exempla illustrab
 etiam et penitus cogn
 ex istis, quæ collegi,
 esse arbitrabar, non ig
 tis, ei explanationem p
 hactenus exposui, pat
 rationem et scientiam.
 sollertia cernatur, ita
 stantia, in certa cogniti
 cipue in sermonis effe
 incitantis; deinde hui
 ræ et perplexæ notie
 interrogando suscitentur
 confecto animus a ser
 nas illas absolutasque
 dies magis perspiciend
 que a perpetuo huma
 stremo perspicuum est
 nisi notionibus recte c
 rerumque rationibus s
 eo quaerendi genere
 que, sed potius ut fun
 mum progrediatur, u
 tur et confirmetur.



mi disputatoris inter
 a proposito non aliena
 Quæ brivitas si cui
 me finibus scriptioni
 m semel contraherem
 mia subtilitatis Plato
 lialecticam accuratius
 Tum vero etiam vel
 natura et vi orituram
 uc pertinent, explica
 e. Ex iis enim, quæ
 et quietam disserendi
 gandi et respondendi
 ous est adstricta, con
 us progrediatur, prae
 e vires et studia acrius
 se, ut ejus ope obscu
 humanae insidet, in
 ducantur; quo opere
 e abstractus ad aeter
 nodi rerum formas in
 o fonte solo certa at
 ia oriri possit. Po
 nos assequi non posse,
 usta difinitio nascatur,
 e conclusis, denique
 sit certum exploratum
 ca ad principium sum
 idoneis causis probe

